



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-580236-p0001-1

DFG



640

1630, 4

R

15

Σωτὴρ Θεῷ Αγχιωμοθέτη!

# LEGALIS SCIENTIAE CULTORES

officiorē salutat,

et

ad audientiam Orationis au-  
spicalis, quam de Legalis Scientia dignitate &  
præstantiâ, ante Prælectionem Tituli ff.  
de JURISDICTIONE, præ-  
missurus est,  
amicè invitat:

FRANCISCUS ROMANUS D. Jun.

---

LIPSIAE

Exudebat GREGORIUS Rießch.

Anno 1630.



Digitized by srujanika@gmail.com

## Section 9

16. EDITION. O MUSICOASITUS BE  
S2 SISTEATIS SITMOL. NIS 23. IN LACU. ALES 23  
A. LUTT. CINCIO. TIT. ELEGY. D. S. P. S. M. V.  
-570. E. V. O. I. C. E. S. U. L. B.

三一八九一六

2020.06.20 11:00:00

•ΟΕΩΙ ΟΠΑΔ





650

Ui Jurisprudentiam , sive  
Legalem Scientiam, τὴν ψυχὴν  
τῆς πόλεως, h.e. Civitatis animā,  
appellārunt, inq; eā fundamen-  
tum libertatis ; fontem æquita-  
tis ; Civium salutem atq; incolu-  
mitatem ; vitam deniq; quietam posuerunt; næ  
illi rem acu mihi tetigisse videntur. Sicut e-  
nim corpus , animā carens , in momento ex-  
pirat, & marcescit : Sic civitas, nullis anima-  
ta legibus , statim extingvitur. Nec vel liber-  
tati locus est, nisi ubi, ex Legalis Scientiæ præ-  
scripto , benefactis honores & præmia : ma-  
lefactis, ignominia & supplicia proponun-  
tur ; studia bonorum excitantur, malorum  
improbitas cohercetur : vel æquitati, nisi ho-  
nestè vivitur, nemo læditur, suum cuiq; tri-  
buitur ; vel saluti ac incolumenti cuiusvis, nisi  
ubi domitæ habentur libidines, & ab alienis,  
mentes, oculi, manus abstinentur. Quæ certè  
universa Legalis Scientiæ beneficio accepta

A 2 sunt

6. 4.

sunt referenda. Hac enim sublatâ, nec domus  
ulla, nec civitas, nec hominum inter se societas,  
nec ipsa deniq; Universitas rerum consistere, ac  
punctum temporis tueri se potest; adeò ut  
*L. I. Rhet.* verissimum sit illud Philosophi: *ἐν τοῖς νόμοις*  
*ἔστιν σωτηρία τῆς πόλεως, in Legibus consistit salus*  
*civitatis.* Quam sententiam nostram, tum  
Orator *Quintilianus*, tum rerum historica-  
rum peritissimus *Livius*, suo comprobant cal-  
culo; Ille quidem, quod multitudinem coa-  
lescere, in unius populi corpus, nulla aliâ re,  
quam Legibus posse, affirmat. Iste verò, quod  
Legalem Scientiam, civilium controversia-  
rum normam, omnium divinarum & hu-  
manarum rerum Reginam facit. Et ne de  
aliis Rebuspubl. in quibus potissimum ad  
Leges & Jus Civile, ceu Cynosuram, suas con-  
formârunt actiones, pluribus agam; *Roma-*  
*na* saltem *Reipubl.* faciem, paulò altiori mentis  
indagine contemplandam vobis sisto. Unde,  
citra difficultatis sensum, conjecturâ quivis  
assequi potest; Eandem ad tantum Majesta-  
tis fastigium aspirare nequaquam potuisse,  
sed in ipso adolescentiæ flore extinctam esse,  
nisi



657

nisi Templum Justitiae, vel Jurisprudentiae  
Romanæ, esset erectum. Ac licet in Romanâ  
Republ. sine Lege certâ, sine Jure certo primi-  
tus actum fuerit; & ad unum omnia, manu à  
Regibus gubernarentur; Leges tamen Curi-  
atæ à Romulo sanctæ fuerunt, quæ nihil ali-  
ud sub suo quasi sinu fovebant, quam Regis,  
ceu summi Magistratus, savissimam cū sub-  
ditis harmoniam & conjunctionem. *Romu-*  
*lus* enim beatissimo civis divisit ordine, fir-  
missimo justissimoq; quenquā munivit præ-  
sidio; discrevit ab inferioribus, superiores; la-  
latisq; Legibus, quid utrisq; faciendum, præ-  
scripsit. In *Romanâ Republ.*, temporis progres-  
su, quam accurata habita fuerit Legū obser-  
vatio, vel inde cuivis innotescit, quod LL. 12.  
tabb. sanctæ fuerunt; quod Jus Civile, ex di-  
sputatione & interpretatione inde ortū; quod  
actiones inde compositæ; quod plebiscita;  
quod SCta; quod Prætorum Edicta; quod  
deniq; Principum placita, & Constitutiones  
promulgatæ fuerunt; adeò ut harum ductu,  
habita olim & appellata fuerit Respubl. Ro-  
mana, *vindex Severitatis, Moderatrix officii,*

A 3 perfu-



per fugium exterarum gentium, asylum aliorum  
injuriis oppressorum. Cùm verò ejusmodi S.S.  
Constitutiones, ultra mille & quadringen-  
tos ferè annos confusæ & hinc inde dispersæ  
jacerent; *Divus Imperator Justinianus*, Lega-  
lis Scientiæ instaurator admirandus, Magnifi-  
corum ac illustrium virorum consilio & au-  
xilio, easdem in ordinem ac luculentam con-  
sonantiam, non sine multis vigiliis, rededit,  
inutilibus, otiosis, ambiguis relectis, & quo-  
ad ejus fieri potuit, rejectis. Sic nostra hac  
tempestate, Status Romani Imperii, unà cum  
Sacratissimo Imperatore, nil magis sibi curæ  
cordiq; esse patiuntur, quām ut novis sub-  
inde crescentibus difficultatibus tempestivè  
obvictur, adeoq; occasio turbandi Rempubl.  
salutarium Constitutionum sive Recessuum  
Imperii Romani promulgatione, penitus  
tollatur. Nostram quoq; sententiam con-  
firmant Constitutiones in usum Electoratus  
Saxonici latæ, à *Divo Augusto*, beatissimæ re-  
cordationis, Electore Serenissimo, Justiciæ  
Vindice acerrimo; Qui cùm prævideret Juris  
in respondendo diversitatem, subditis esse  
inuti-



PSY

inutilem ac nocivam ; nil prius, nil potius  
duxit, quàm ut Juris æqualitate singuli ac  
universi gauderent ac fruerentur. Nec tan-  
tum æquissimum fuit judicatum à Pruden-  
tissimis Reiq; publ. amantissimis viris, ut o-  
mnia in Republ. secundum Leges, tanquam  
Lydium lapidem, examinarentur, & expedi-  
rentur negotia ; sed etiam ut eædem publicè  
explicarentur & docerentur : Hinc in Ro-  
mana Republ. teste Jcto Pomponio, Legum 12.  
tabb. interpretandi Scientia, tanquam res  
religiosissima , à Collegio Pontificum fuit  
habita. In memoriam jam revocare híc no-  
lo , quòd Juris Civilis Scientiam, plurimi  
Summates Viri, præcipuæ dignitatis & erudi-  
tionis, apud populum Romanum, sunt pro-  
fessi. Illud saltem sicco pede haud præte-  
rire possum, Nobilissimam Juris Scientiam,  
jussu & authoritate Imperatorum publicè in  
Lycéis tradi tandem cepisse ; Quo sanè facta  
*Imperatores Sacratissimi* innuere haud dubiè  
voluerunt, non tam militiæ curam, quàm  
Justitiæ amorem ; non tam armorum tra-  
stationem, quàm Juris Civilis docendi & ex-  
pli-  
can-

A 4



plicandi rationem ad se cum primis pertinere. Horum Imperatorum laudatissimorum exemplo, à Ducibus ac Electoribus Saxoniae, sapientissimo Consilio, longèq; optimis rationibus, vel in hac Lipsiensi Academiâ, constituti sunt, ut aliarum Facultatum; ita & Juris Civilis ac Canonici Professores ac Interpretes, non ut suas res agant, & sibi solùm vivant; sed ut omnem curam, laborem, studium, ac industriam, in communi Bono Juventutis, cuius operam sibi præstò futuram spondet ac pollicetur Res publica, unicè habeant defixam. Quæ sanè Professorum cura & labor, per multas annorum decades, haud infelici caruere successu. Horum quippe ~~χαιρετισμά~~, Deo sic benedicente, ultra geminam annorum centuriam, ex hac Academiâ, tanquam ex equo Trojano, prodierunt in universam ferè Europam, Consultores Juris & Candidatorum Legum Scientissimi; in consilio dando, felicissimi; in patrocinio fidelissimi; in iudicio, equissimi. In horum Professorum numerum, præeunte & Electorali autoritate & consensu Inclytæ Facultatis Juridicæ  
unani-



62

ūnanimi, Dn. Parens meus dilectissimus,  
*Franciscus Romanus*, dictæ jam Facultatis Ju-  
ridicæ p. t. Ordinarius, anno æræ Christianæ  
M. D. LXXXVIII. cooptatus est; Qui sanè  
ab eo tempore (*absit jactantia dictis*) nulli An-  
tecessorum in docendi dexteritate cessit; sed  
quantum per publicas occupationes & Le-  
gationes crebriores ipsi licuit, operam dedit  
sedulò; quò publicè docendi munus sibi in-  
junctum, eâ quâ par fuit fidelitate, non sine  
studioræ Juventutis emolumento, ad præ-  
sentem hunc usque temporis articulum, ad-  
ministraretur. Quanvis verò nil magis in  
votis, optatisq; habeat, quām ut Spartæ huic  
Professoriæ, parili fervore & felicitate, uti  
ante hac id præstitum, ad extremum usque  
vitæ halitum, præesse posset; attamen cùm  
id ipsum, temporis successu, *partim propter in-*  
*gravescentem etatem*, corporis ac ingenii viri-  
bus, parùm proficiam; *partim propter alios*  
*labores*, quos ipse in hisce Ditionibus ultra  
XL I. annos exantlavit, & adhuc exantlat,  
*notissimos*, ei sit impossibile; ne ipsius Profes-  
sio in totum quasi dormire, & conatus Stu-

A 5 dioso-



diosorum omnino negligi & posthaberi  
viderentur ; ab Illusterrimo ac Celsissimo Ele-  
ctore , præviâ Amplissimæ Facultatis Juri-  
dicæ deliberatione, pro suo in me paterno  
affectu, submissè petiit, ut mihi, nihil tale  
tum cogitanti, vicariæ publicè docendi par-  
tes demandarentur. Quum igitur, non sine  
Divini Numinis favore, ex Mandato Serenissi-  
mi ac Potentissimi Principis ac Domini, Domini  
JOHANNIS GEORGII, Ducis Saxoniae, Ju-  
liae, Cliviae, Et Montium, Sacri Romani Imperii  
Archimarschalli Et Electoris, Landgraviu Thu-  
ringiae, Marchionis Misniae, Burggravii Magde-  
burgensis, Comitis de Marcâ, Et Ravenspurg,  
Dynastæ in Ravenstein, Et c. Domini mei Cle-  
mentissimi, ad me, licet indignum, hæc Vi-  
caria publicè docendi provincia, non ita pri-  
dem clementissimè devenerit ; meum sanè  
omnino fuit, subjectissimo studio parere, &  
laborem hunc & operam, lubenti animo, in  
me recipere. Ego sanè, licet de meâ tenuita-  
te, singulare quippiam aut excellens polli-  
ceri nequeam : JEHOVA tamen omnipot-  
tentis ope, in id totâ mente, omniq[ue] curâ  
elabo-

clod

A

elaboratus sum, ut Spartam, quam natus sum,  
 natà tò ðuwatò exornem, Deoque grata, ac Ju-  
 ventuti utilia, ea quâ fieri potest brevitate, quâq;  
 debeo fideli sedulitate, ac sedulâ fidelitate, faciam,  
 omniaq; referam ad auditorum fructum & utilita-  
 tem; Quam quidem, ut evidentem, ex prælectio-  
 nibus meis capiant, id jubeat, velit, faxitq; Ille, quo  
 non jubente, volente, faciente, Nullius est felix co-  
 natus & utilis unquam. Ut verò Auditores, Legalis  
 Scientiæ addicti, cognoscant, quid imposterum ipfis  
 in primordio prælectionum mearum publicarum  
 sit à me expectandum; sciant illi p. t. mihi autori-  
 tate Amplissimæ Facultatis Juridicæ injunctum  
 esse, ut ab explicatione materiæ, ex Jure Civili, de  
 JURISDICTIONE, initium capereim. Quam sanè  
 materiam non tam utilissimam; quâm summè diffi-  
 cilem, brevi temporis intervallò, Methodo conveni-  
 ente, & Dn. Auditoribus non ingratâ, BONO CUM  
 DEO, explicatam dabo, ne aut illos suæ ipsorum in  
 audiendo operæ pœniteat; aut mei me laboris in  
 docendo pigeat; Avertat modò DEUS, Scholarum  
 summus Præses, bellorum motus, & contagiorum peri-  
 cula, à nostris alveolis Musicis; tum docendi, di-  
 scendiisque commodam occasionem, imposterum  
 quoq; per & propter Filium suum, principem pacis &  
 vitæ, benignè nobis præstet. Quemadmodum au-  
 tem Persæ ante sacrificium, de pietate; ante convi-  
 vium, de temperantiâ; ante prælium, de fortitudine,  
 verba

Verba faciebant ; ita Majores nostri, nunquam satis laudati, voluerunt, ut ab ejus materiæ encomio, quā quis publicâ voce traditurus esset, auspicaretur : ejusq; necessitatem cum utilitate conjunctam, Studiosæ Juventuti persvaderet. Quod ergo JEHOVA Opt. Max. faustum felixq; esse jubeat ; oratione quādā perbrevi, de Legalis Scientiæ Dignitate ac Præstantiâ præmissâ, munus meum aggrediar. Quicunque autem aures in audiendo benevolas mihi accommodare velint, in JCtorum ἀνθοαρτηρίῳ, ad proximum diem Jovis, horâ nonâ matutinâ, comparere poterunt, idq; ut faciant, imprimis Sacratissimæ Jurisprudentiæ addictos, officiosè invitatos & convocatos volo. Quod si quodq; Magnificus Dn. Rector, Quatuor Facultatum Decani, ut & omnium ordinum ac Dignitatum Viri Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi, Clariſſimi, Humanissimiq;, Magnificâ ac honorificâ suâ præsentia, publicas hafce primitias nostrarum operarum dignari, & in gratiam Amplissimæ Facultatis Juridicæ ; meiq; honorem ; nec non ad excitanda discentium ingenia, oratiunculæ meæ interesse haud gravati fuerint, singulari me putabo affectum beneficio ; nec patiar, ut ullum tempus illucescat, quo tanti hujus in me favoris ac beneficii memoria ac fama moriatur. B. V.

P. P. die 19. Mens. VII br. Anni

M. DC. XXX.



**ULB Halle**  
006 682 146


3



KD7



## Farbkarte #13



μοθέτη!  
IENTIAE  
RES

ationis au-  
tentia dignitate &  
nem Titulif.  
NE, præ-

ANUS D. Jun.

Rießsch.

1630, 4

640

15